



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm V. Illud.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

que Ecclesie consuetudine, secundum eundem Abb. in. Gl. 1

CAPITVLVM IV.

Omnes.

Principes ipsi, sicuti & alij omnes, Episcopo suo obedire debent.

NOTANDVM Vn. Rex seu Princeps, sicuti & reliquus populus Christianus, Episcopo tanquam Ordinario suo, in spiritualibus subiectus est; nisi quod in quibusdam speciali privilegio, aut immemoriali consuetudine Principes personae eximantur, v. g. quod cuilibet sacerdoti approbato de peccatis confiteri possint.

Porro, si Princeps in prouincia, aut regno suo plures Episcopos habeat, eius loci, seu ciuitatis Episcopus, in qua Princeps principalem sedem tenet, erit quoque ipsius Ordinarius, vt v. g. matrimonium contrahenti assistere possit; non item alterius ciuitatis Episcopus, in qua Princeps ordinariè non habitat, sicuti bene hic Gl. monet, ver. omnes Principes.

Adde pro doctrina huius c. S. Ignatium Martyrem in epist. ad Philadelphienfes: *Clerus, una cum populo vniuerso, militibus, Principibus, atque Cesare, ipsi Episcopo pareant.* S. Nazianzen. orat. 17. ad ciues: *Vos quoque (Principes ac Praefecti) lex Christi imperio meo, ac throno subijcit: Imperium enim nos quoque gerimus. addo etiam praestantius, ac perfectius: nisi verò equum est, spiritum carni fascis submittere, & caelestia terrenis cedere.* Vide plura in hanc sententiam lib. 4. Theol. moral. c. 9. n. 1.

CAPITVLVM V.

Illud.

Episcopus Hildesheimensis relicta sua Ecclesia, propria auctoritate transtulit se ad Ecclesiam Herbipolensem, vt supra legimus in c. 3. & 4. de translat. Episcopi:

In excusationem attulit, quod ea translatio cederet in commodum temporale eiusdem Ecclesie Herbipolensis. Sed id rejicit Papa Innocent. III. **Quia** propter commodum temporale, non est abijciendum obedientiae bonum; cum id praestantius sit, quippe spirituale, quod temporali praferendum est.

NOTANDVM Vn. Non est sufficiens causa legem violandi, quod inde bonum aliquod euenturum sit. **Quia** non sunt facienda mala, vt eueniant bona, vt dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 2. c. 9. n. 7.

CAPITVLVM VI.

Solitae.

PARAPHRASIS.

Innocentius III. Imperatorem Constantinopolitanum perliteras reprehenderit, quod Patriarcham Constantinopolitanum in scabello iuxta pedes suos ad laeuam partem considerare faciat. Id egrè accipiens Imperator, rescripsit; Imperatoriam potestatem praferendam esse Sacerdotio, huius suae opinionis non veram causam seu argumentum, sed occasionem accipiens ex dicto S. Petri epist. 1. c. 2. *Subiecti igitur estote omni creature propter Deum sicut Regi tanquam praesentem.* Ad hoc respondetur; Apostolum loqui ad subditos, vt omnibus Superioribus, seu potestatem supra se habentibus obediant; ne videl. aliquis existimet, Christianos per susceptam Christi legem ab humanis potestatibus exemptos, ac liberos esse. Neque enim uero Imperatori, aut Regi denegatur imperium, ac potestas; sed in temporalibus duntaxat, atque in illos Christianos, qui ab ipso suscipiunt temporalia. At uero Pontifex in spiritualibus excellit: quippe quae temporalibus digniora sunt, sicuti anima corpori praefertur. Potest etiam praerogatiua Sacerdotij ex eo intelligi, quod Ierem. cap. 1, non Regi, vel ex regia